

XX

7


DISSERTATIO INAVGURALIS MEDICO - PRACTICA
DE
S T E R I L I T A T E
VTRIVSQUE SEXVS,
EIVSQVE CAVSSIS,
SIGNIS ET CVRATIONE,

QVAM
DIVINI NVMINIS AVSPICIIS
IVSSV ET AVCTORITATE
GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
IN ACADEMIA REGIA FRIDERICIANA
SPECIMINIS LOCO

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS RITE IMPETRANDIS
D. XXII. MAII MDCCLVIII.
ERVDITORVM CENSVRAE EXHIBVIT

A V C T O R
IOSEPHVS DE LEMOS, IVNIOR,
HAMBVRGENSIS,
GENTE IVDAEV.



HALAE MAGDEBVRGICAE,
EX TYPOGRAPHIA VESTERIANA.

DISTRIBUTIO UNIVERSITATIS MEDICO-TRIVICIAE
S T E R I N N I A T I A
ARTIASOPA SAXAS
SIGNS ET CARVATIONE
PRAECLARA
PRAECLARA IN UNIVERSITATE MEDICO-TRIVICIAE
IN UNIVERSITATE MEDICO-TRIVICIAE
IN UNIVERSITATE MEDICO-TRIVICIAE
PRO CERADA DOCTORIS
SUMMARIO IN MEDICO-TRIVICOLOGIA
DOCTORALIBUS ET ETIENDIS
DUXIT MICHAELEM HEDINGERUM
ERUDITORVM CONSERVANTHIBVS
AVATORVM
GOTHICARVM
LITERARVM
ARTIASOPA SAXAS
SIGNS ET CARVATIONE



DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE
STERILITATE
VTRIVSQUE SEXVS, EIVSQVE
CAVSSIS,
SIGNIS ET CVRATIONE.
PROOEMIVM.



Pudentiam, Virtutem, & Sanitatem praeclarissima esse, quae mortalibus a natura concessa sunt, dona, neminem existimo fore

A 2

qui

P R O O E M I V M.

qui dubitet; ad ultimum vero adspirare,
nisi duo iam priora possideas, idem est,
ac Aethiopem lavare velle. Nulla enim
sine prudentia Virtus, nullaque sine Vir-
tute sanitas. Quis quaeso unquam ho-
minem vidit Aristippi gregem sequentem,
omnibusque sensuum deliciis immersum at-
que oppressum, qui vitam vixerit satis
longam, eandemque cum perfecta vale-
tudine seros in annos decrepitamque
protraxerit senectutem? Quae vero
subest ratio? Nulla sane alia, nisi quod
illis, quae Deus & Natura ex largissimo
sinu suppeditavit, bonae valetudinis praef-
sidiis non rite, non debite, neque con-
grue, nec iusto tempore utamur, ex
quo dein morborum omnium fons &
origo merito erit deducenda. Quum
igitur mirum in modum a clementi na-
tura minerale regnum indies multiplice-
tur,

dip

s A

P R O O E M I V M.

tur, pariterque etiam vegetabile & animale innumera fere & multiplicita admicula pro conseruatione & restitutione humanae sanitatis nobis largiantur; utique idcirco nos, tanquam homines iudicio & ingenio ab omnipotente Deo instructi, prudentem illorum rationem habere, simulque curare debemus, ne hominum genus nimium quantum diminuat; & quoniam non solum ex haereditaria dispositione, sed & a malo & incongruo rerum non-naturalium usu variae propullulant occasiones, ad propagationis humani generis impedimenta multum omnino conferentes, quam tam omni possibili & licita ratione adiuuare & promouere debemus: hinc vanum me haud suscepturnum esse arbitror laborem, si Speciminis inauguralis loco causas, signa & curationem Sterilitatis

A 3

vtri-

VII

P R O O E M I V M.

utriusque sexus pro virium modulo exponere allaboravero. Benedicat Deus T. O. M. his laboribus, & praticos meos quoque conatus in aeterni sui Nominis gloriam, & aegrotantium emolumenitum cedere. iubeat felicissime.



A

IN-



INTRODVCTIO.

§. I.

Nusquam Naturae maius deprehenditur, quam in propaganda sobole, studium; nusquam Naturae maior, quam in educanda fo- vendaque sobole, charitas & benevolentia appar- ret; nusquam tandem Naturae praeclarior, quam in erudienda sobole, in operibus ad vitam ne- cessariis, prudentia observatur. Ad singulos hos actus tam ipsa sacra Scriptura, quam no- strum proprium nos excitat desiderium, ne homi- num genus diminuatur, sed potius demortuorum restituatur numerus, eaque propter naturali ordi- ne sexus nobilior sequioris, & hic pariter nobilio- ris consortium desiderat, ut finis hic obtineat- tur. Quoniam vero frustraneum illum reddit Sterilitas in talibus subiectis occurrens, merito hinc eo allaborandum est omni modo, vt eius caussae

causae rite indagentur &, quantum fieri potest,
debite removeantur, in qua tractatione etiam
nunc vires meas experiri mecum constitui.

§. II.

Antequam vero ad hoc exequendum me
accingo, necessarium iudico, vt mentem
prius declarem meam, quid per *Sterilitatem* in-
telligam. Est ergo illa, vt celeberrimi MÜL-
LERİ^{a)} verbis vtar, *conceptio laesa, ita ut rara,*
aut nulla sequatur, repetito licet coitu.

RIVERIVS^{b)} equidem per conceptionem
intelligit impraegnationem, & hinc definit Steri-
litem per omnimodum concipiendi defectum,
quam tamen conclusionem minime ita debite
subsistere posse iudico, siquidem semper fit
conceptio, bene annotante celeberr. SENNE-
TO^{c)}, sed hac cum differentia, quod, si natura-
liter contingat, remotis praeternaturalibus cau-
sis, status sequatur impraegnationis; sive vero
minus, sterilitas. Generalior ergo sensu illa
apte definiri posset, quod sit *privatio eius, quod*
secundum naturam post actum sequi deberet.

§. III.

Actio haec dupli perficitur modo, ratione
nempe foeminae passiva, & ratione viri active;
ergo

a) Colleg. pract. Cap. 2. Artic. 1. pag. 984.

b) Lib. XV. Praxeos Cap. 15.

c) Lib. IV. Part. II. Sect. IV. Cap. 2. pag. 104.

ergo cauissae defectus foecunditatis haerere possunt vel in foeminino, vel in masculino corpore, eaque propter bonae methodi ratio postulat, ut in separatis illas expositas sistam Capitibus, quo tanto distinctius recenserri & comprehendi queant.

CAPUT I.

DE

VIRORVM STERILITATE.

§. I.

Nobiliorem sexum generandi impotentia labore posse, satis abunde per experientiam confirmatur, qua foeminas antea foecundissimas, mutato matrimonio, steriles animadvertisimus, & vice versa, dum steriles antea mulieres, demortuo marito ad secunda vota transeuntes, foecundas redditas fuisse obseruamus.

§. II.

Sunt itaque quatuor modi Sterilitatis in masculino sexu, nempe

I. genitalium partium ignavia, vel atonia;

II. vitiata membra figura;

III. seminis vitium, &

IV. totius corporis vel principalis alicuius partis debilitas, a quacunque causa praegressa

B

gressa

gressa inducta, vt si cerebrum, vbi liquidum nerveum separatur & elaboratur, debilitate laboret, cuius effectus Sterilitatis caussas constituere valent.

§. III.

Quot ergo quantaeque, praeter naturalem hunc introducentes statum, sunt caussae? Si speciatim has enumerare vellem, admodum prolixa satisque diffusa foret haec mea tractatio; ne tamen ignorantiae aut negligentiae suspicionem incurram, nonnullas harum exponam, quas inter primo loco refero testium inflammationem, vel aquosum tumorem, insigne plerumque impedimentum circa debitam feminis elaborationem peragendam praebentem. Hae sterilitatis caussae communiter sanationem adhuc admittunt, excepto extraordinario quodam casu, quem Berolini nuperrime obseruare mihi licuit, vbi vasa spermatica inflammata & ad pollicis crassitatem tumefacta ac indurata erant, ita vt a doctissimo Domino Praeceptore meo, aliisque ibidem degentibus celeberrimis Practicis, malum istud pro hernia fuerit reputatum, donec tandem, frustra exhibitis variis medicamentis, post manualem operationem vasa spermatica ita, vt antea monui, comparata, in conspectum venirent, qui status idcirco etiam inter nostri affectus caussas merito numerari debet.

§. IV.

eiusque caussis, signis & curatione.

¶

§. IV.

Remote complures quoque causae conserunt ad nostrum inducendum affectum; cum vero hunc ipsum stricte saltem & solitarie considerandum mihi proposuerim, superfluum omnino foret, si morborum antecedentium historias fusius hic enarrare vellem, vtpote in quo negotio diu iam otium mihi fecerunt alii celebrimi viri; hinc Lectores meos contentos fore iudico, si de retentione laesaque geniturae excretione paulo exactius diffusiusque iam disserero. Laeditur autem quatuor praecipue modis haec geniturae excretio & retentio,

- I. quando genitura citra coitum effluit;
- II. quando in coitu nimis cito eiaculatur;
- III. quando in coitu nimis tarde emittitur, &
- IV. quando nulla neque sub coitu, neque extra illum excerni potest.

§. V.

Quod ad primum attinet, hoc vel nocturno tempore sub insomniis moderate contingit, iuncta simul voluptate venerea, diciturque *pollutio nocturna*; vel semen continuo fere exstallat, idque imprimis citra stimulum venereum, & praecipue interdiu, frequentius aut rarius, diciturque *Gonorrhoea*, de cuius differentia & generibus pathologica abunde nos edocere possunt scripta.

B 2

§. VI.

§. VI.

Diagnostica Gonorrhoeae signa sunt gracilis circa lumbos, motusque impotentia, lassitudo crurum, debilitas capitis cum superueniente contabescientia corporis, in primis subiecta talia admodum debilia & pallida fiunt, & oculorum bulbū intra orbitas profundius delitescunt. Sedem autem huius affectus primariam constituunt vesiculae seminales, in quas per vasa deferentia colligitur genitura, & usque ad debitam excretionem affluunt.

Vera autem sic dicta Gonorrhœa ex tripli-
ci fit causa:

- I. a nimia abundantia genituræ;
- II. a nimia genituræ acrimonia;
- III. a nimia eius tenuitate, aut vesicularum seminalium laxitate.

Conferunt dein remote ad Gonorrhœam inducendam vietus largior & laetior, potus vini dulcis copiosior, vitae genus laboribus tam animi quam corporis vacuum, abstinentia a Venere usq; & quandoque grauiores & insolite quaedam animi commotiones.

§. VII.

In Gonorrhœa notha loco genituræ ordinariae & naturalis alia materia vitiosa, vel liquamen serofum, plus minus acre aut decoloratum & foetidum, continuo ex urethra exstallat, &
haec

haec species denuo est vel maligna, vel benigna, tuncque loco vesicularum seminalium glandulae prostatae afficiuntur, ita quidem, ut vel laxiores, aut leniter excoriatae, vel penitus exulceratae sint. Quodsi ergo fiat, ut nimium relaxatis his partibus glandulosis maior humoris lymphatico-spermatici in iisdem fiat collectio, tunc ob abundantiam sub insomniis voluptuosis frequentius eiaculatur, siveque *pollutiones* oriuntur *nocturnae*; si vero corruptus aut miasmate venereo inquinatus fuerit iste humor, tunc stimulando, irritando & arrodendo partes istas, frequentiorem earum excitat constrictiōnem, vnde continuum materiae talis sequitur profluuium, sub *Gonorrhoeae malignae* nomine abunde notum, quae sicuti impurum coitum tanquam caussam proximam praesupponit, ita remote ad illam conferunt omnia ea, quae quacunque ratione copiosiorem seri impuri coacerivationem promovere possunt, in primis autem ventriculi debilitas, sub qua digestio insigniter laeditur, variaeque cruditates producuntur, quae dein, ad massam sanguineam delatae, praesentem iam cacoehymiam magis augent, ipsumque affectionem deterioriorem reddunt.

§. VIII.

Expositis remotioribus caussis, ad materiam progredior, quae in dyscrasia sanguinis se-

B 3

roso-

roso-mucosa consistit, ob quam humores tales impuri nimium abundantes copiosius quoque versus prostatas irritatas diriguntur, & ob laxorem ac porosam illarum substantiam continuo fere inde exsudant & eliminantur.

§. IX.

Quoad prognosin abunde iam patet, quod, si recens fuerit talis Gonorrhœa, facilem admittat curationem, minusque periculosa sit; inverterata autem graue constitutat malum, facile demum, sub incongrua inprimis tractatione, in tabidam corporis consumptionem, vel alias fonticos, pariter tandem lethali eventu se se terminantes, morbos transiens.

§. X.

Nunquam ergo Gonorrhœa qualiscunque subito est cohibenda, in primis autem illa, quae diutius iam durauit & simul maligna est, quoniam virulentum illud venereum miasma tunc tanto magis per massam humorum diffunditur, & vel bubes, vel testiculorum graues inflammationes ac indurations scirrhosas, vel aliarum partium erosiones & exulcerationes insanabiles producit.

§. XI.

Idcirco etiam Medicus, curationem huius affectus aggressurus, ante omnia indagare debet, num

num viscera adhuc salua sint & illaesae; siquidem praesente iam grauiore illorum labe omnis plenariae restitutionis spes euanescit, & mitigatoria saltem, seu palliativa medendi methodus vnice adhuc locum habere potest.

§. XII.

Cum autem ad tollendum morbum id vnice requiratur, vt caussae eiusdem remoueantur, & noster affectus ex triplici oriri queat caussa (§. VI.), hinc vel genitura minuenda, vel eius fervor & acrimonia temperanda, aut denique partium afflictarum & relaxatarum robur naturale tonicas est restituendum & firmandum. Ad primam indicationem conferunt animi & corporis labores, vigiliae frequentes, victus minus nutriendis, parcioresque humores chylosos ingenerans, vt & secretionem spermatis minuentia, vti sunt acida, nitrofa & cum his coniuncta in parciori dosi camphorata. Praeter supra dicta autem, ad materiam peccantem, si maligna fuerit Gonorrhoea, corrigendam & euacuandam, conuenientia in usum vocanda sunt remedia, veluti pulueres ex absorbentibus, succino praepar. antimonio diaphoretico & nitro parati, quibus coniungi & interponi debent Mixturae ex Tincturis antimonii vel salis Tartari, essent. Lignor. Pimpinell. alb. Succini, Vincetox. &c. subiuncto crebriore usu Decoctorum ex radd. Tarax. Chinae, Sarsaparill. Herb.

Herb. Saponar. Sem. Foenic. & rasura ligni Guaiaci, Sassafras ac Juniperi parandorum, obseruata simul exactiore tenui diaeta, abstinendo a Veneris exercitio, & vitando vinosa, spirituosa, motum vehementiorem & omnes alios excessus. Multum etiam hoc conferunt laxantia, tam in initio, quam progressu curationis exhibenda, veluti pilulae ex Extr. panchymagog. Croll. Resin. Ialapp. praepar. & aliquot Mercurii dule. granis paratae. Si sufficiens facta fuerit correctio, effluxus autem humoris spermatici pertinaciter continuat, tunc aut facchari Saturni vnum alterumve granum cuilibet dosi puluerum praedictorum addi potest, aut exhibendae sunt alternis diebus pilulae ex Mastichis & Gummi Elemi ana drachm. ij. & terrae Catechu scrupulo vno, cum sufficienti quantitate mucilag. Tragac. paratae. Eximium etiam tunc effectum praestant injectiones leniter tonicae in vrethram, bis saltem quotidie cum internis his coniungendae.

XIII.

Si vero atonia vesicularum seminalium in caussa fuerit, tunc, ad tertiam indicationem impetrandam, in usum vocanda sunt remedia tonica, veluti Corallia rubra praep. species de Hyacintho, Crocus martis aperitiuus, & Os sepiae, quibus aliquot grana pulueris solaris Cellensis pro dosi admisceri possunt. Conducunt etiam cor-

cortices Chinae & Cascarillae, tam in substantia, quam in Extractis, cum aquis analepticis solutis & in Elixirii formam redactis, exhibendi. Accidit quoque interdum, ut post curatam Gonorrhœam saltem tenuis aquosus humor adhuc guttatum prodeat, ad quem cohibendum optime conueniunt pilulae RIVERII Cent. II. Obs. 74 commendatae, quarum compositio sequens est: Rec. Gummi arabici, tragacanth. carabe, Mumiae, Boli armene ana drachm. j. Cum syrupo de rosis siccis F. massa pilularum, de qua per octo vel nouem dies mane & duabus horis ante pastum scrupulus unus assumatur. Plura huc facientia exhibet celeberr. WEDELIVS in Tr. de Medicament. facultar. pag. 223. Si vero praemature suppressa fuerit, tunc tempestive porrigenda sunt purgantia mercurialis & blanda diuretica, omnique modo praecaudendum est, ne ad alia nobiliora loca impurum miasma retrocedat, quem in finem etiam fonticulum in inguine aut crure statim excitare iubet ZACVTVS Lusitanus Lib. I. Præcos admirab. Obseruat. 97.

§. XIV.

Progredimur nunc ad alteram virorum sterilitatis speciem, quae in nimis accelerata genituræ ejaculatione consistit (§. IV.). Huius caussam plerumque constituit vel vesicularum seminalium nimia relaxatio & excretorii illarum ductus ma-

C

ior

ior dilatatio, vel etiam nimia sic dicta spiritu-
ascentia aut rarefactio geniturae, quae quandoque
in adolescentibus, Veneri rarius quidem, sed cum
maiori feroore litantibus, notatur.

§. XV.

Prioris caussae curatio, si in primis recentior
illa fuerit, roborantium & tonicorum, in §. XIII.
commendatorum, vsu facile obtinetur, coniun-
ctis etiam, si opus fuerit, infessibus, balneis, ther-
mis & similibus. Ad posteriorem vero tollendam,
dum organica plerumque cum illa coniuncta est hu-
morum commotio, saepius etiam ipsa seminis abun-
dantia in culpa est, optime conducunt temperantia,
nitrosa, praecipitantia & secura anodyna, interpositis
simil temperatis analepticis & tonicis, vt robur
debitum membranaceis ipsis partibus simul concilietur
illarumque resistentia augeatur, insuperque ser-
uando diaetam moderatam, & evitando omnia ni-
mium nutrientia, aromatica, vinosa, spirituosa,
& qualiacunque alia commouentia.

§. XVI.

Referenda etiam huc merito est singularissi-
ma quaedam causa, cuius mentionem facit *Hen-
ricus ab HEER, Obseru. X. pag. 108. sgg.* quamque
in illustri quodam Anglo detexit, qui ad pri-
mum genitalium foemineorum contactum statim
semen, sed plane aqueum & sero simillimum,
emit-

emittebat, ob vlcus in intestino recto latitans,
vnde parastatae, aliaque semini praeparando &
eiaculando destinata vasa, ob consensum frequenter
irritabantur, humorisque illius legitima elabora-
tio quam maxime turbabatur.

§. XVII.

Si itaque' nimis acceleratae eiaculationis
caussam constituit vesicularum seminalium praeter-
naturalis laxitas, merito exinde concludere licet,
quod in *nimas retardatae seminis excretione*, tanquam
tertia nostri affectus specie & priori oposita, mus-
culturum, Veneris actioni inferuentium, languor
& atonia accusari debeat, vel etiam ipsarum vesi-
cularum seminalium obstructio, a quacunque caussa
inducta, in culpa sit, siquidem his praeſentibus
geniturae excretio laeditur, vel plane nonnun-
quam supprimitur.

STATIUS. §. XVIII.

In hac sterilitatis specie, & vbi in coitu, ere-
cto licet membro, nulla tamen genitura effluit, ma-
gno cum fructu acria, neruina, aromatica, itemque
ambrata & moschata offeruntur, quae spiritus ani-
males augent, partes geniturae eiaculationi infer-
uientes roborant, hancque sic deum indirekte ac-
celerant. Hunc in finem sequentia Eleſtuaria a ce-
leberrimo quodam Medico ſaepius optato cum effe-
ctu exhibita fuſſe noui. I. Pro ſubiectis sanguineis:

ORV

C 2

Rec

Rec. Pulv. rad. eryng. satyrion. ana drachm. ijij.
 Stinc. marin. Sem. eruc. Zingiber. condit. ana
 scrup. ij. Olei Cinnamom. gutt. X. Confect.
 Alkerm. compl. Unc. j. F. c. Syr. de cinnamom.
 q. s. Electuarium, de quo mane & vesperi quan-
 tum cultri cuspis capit cum cyatho vini sumatur.
II. Pro frigidioris constitutionis subiectis. Rec. Con-
 dit. aurant. rad. eryng. Ele&t. diasatyrion. Conf.
 Alkerm. compl. Succolad. Pistac. ana Unc. j.
 Pulv. Cinnam. Cardamom. Caryophyll. Macis
 ana drachm. j. Vanigl. num. ij. Ambr. grys. gr.
 vj. olei Cinnamom. gutt. vj. M. F. Electuarium,
 sumaturque mane & vesperi ad magnitudinem.
N. M.

CAPVT II.

DE

FOEMINARVM STERILITATE.

§. I.

Ex subiectis vtriusque sexus vnum; nempe
 mas, in alieno generat corpore, alterum autem,
 seu foemina, in proprio; ille efficientem cau-
 sam, perfectum nempe & prolificum semen; haec
 vero materialem, conueniens nimirum & bene
 constitutum ouulum, subministrat. Quando igitur
 vero

post congressum a subtiliori volatili seminis, in
uterum ejaculati, parte, quam *auram seminalem*
vocant, primus, isque vitalis, ouulo foeminino
imprimitur motus, postmodumque ita continua-
tur, ut prima futuri hominis stamina, siue illa
a prima creatione in eo delituerint, siue poste-
ro tempore in illud fuerint illata, successiue
magis magisque euoluantur, tunc foeminam con-
cepisse dicimus, indeque manifesto patet, quod
omnia, quae in foemina impediunt illud initium
vitalitatis in ouulo, sterilitatem in ea producant

§. II.

Sicuti in viris varia, satisque numeroſa oc-
currunt generationis impedimenta, ita & in foeminiſ
plures fere deprehenduntur cauſae sterilita-
tem inferentes, quae exquisitam omnino merentur
indagationem & considerationem, ob paginarum
autem angustiam itidem ſaltem in compendio iam
exhiberi debent.

§. III.

Non plane inepte iam olim *Lazarus RIVE-*
RIVS e) sterilitatem in foeminiſ quatuor modis
contingere posse afferuit, nimirum si non recipi-
ant conuenienter virile ſemen, si non reti-
neant

e) *Prax. med. Lib. IX. Cap. XV.*

neant iam receptum; si receptum non foueant & conseruent; ac demum si non nutriant dictum semen (vel potius foecundatum & impregnatum ouulum,) ad formationem & incrementum embryonis.

§. IV.

Commodissime autem omnes illae cauffae, quae ad varios tales modos sterilitatis foeminarum concurrunt, in triplicem redigi possunt classem, *praeternaturales* nempe, ac *naturales*, quae *plenariam* & *absolutam* inferunt sterilitatem, & tales tandem, quae *temporariam* saltem inferunt; quare etiam easdem nunc in tribus separatis Articulis exponere, concinnamque simul medendi methodum statim iisdem subiungere lubet.

ARTICVLVS I. FOEMINARVM MORBOSA STE- RILITATE.

Sicuti omnes illae cauffae, quae innumeros illos morbos, quibus corpus nostrum tam varie affligitur, producunt, duplices saltem generis sunt, *exter- nae* nimurum & *internae*; ita quoque quae mor-

boſam concitant sterilitatem eodem modo dispesci possunt. Ad priores, quae ſaltem remote hic concurrunt, referri in primis merentur frequentes & diutius perpeſſae grauiores aëris mutationes, habitationes in locis infalubribus, humidis, viginosis ac paludosis, balneorumque relaxantium & emollientium abufus, quibus omnibus corpus in genere ad varios morbos fuscipiens disponitur; ac tandem laefiones qualescumque violentae, ad ipsum vterum & partes cum illo connexas quomodo cumque fefe extenderentes. Ad posteriorum classem pertinent, vteri intemperies qualiscumque, seu mala constitutio, vitia quaelibet grauiora & diurniora menstrui fluxus, videlicet inordinatus & irregularis eiusdem successus, defectus & imminutio, vel suppressio plenaria, itemque excessus, aut decoloratio. Hinc patet ratio, quare hystericae raro sint foecundae, itemque omnes illae foeminae, quae ad animi commotiones valde fuit proclives.

§. II.

Praeter illa modo allegata vitia menstrui fluxus, alii quoque morbi grauiores, totum corpus affligentes & quaslibet eiusdem functiones vehementer turbantes, sterilitatem in huic sexus subiectis frequentissime post se trahunt, in quantum partium solidarum, adeoque etiam vteri, naturale robur non ſolum insigniter immiuant

minuunt & tollunt, sed etiam fluidarum crasis
& mixtionem admodum turbant ac depravant,
sicque principaliora illa adminicula, quae ad foecundationis & generationis actum in corpore
foeminino perficiendum requiruntur, auferunt,
ita quidem, ut vel nulla dein fiat conceptio,
vel si etiam haec contingat, praematuero tamen
dein subsequente abortu irrita prorsus & frustra-
nea reddatur.

§. III.

Circa prognosin parum hic monendum est,
cum per se iam pateat, quod, si talia vteri
vicia in culpa fuerint, quae & cognosci, & felici-
citer remoueri posunt, ipsa etiam tunc sterilitas
inde inducta auferri queat, sique morbi quales-
cunque graviores adhuc praesentes, aut praegressorum
reliquiae curationem admittant, spes
etiam restituendae foecunditatis restitut; quae
vero plane evanescit, si omnia haec contrario
modo se habent.

§. IV.

Curatio ergo tunc, pro caufarum diversitate,
varia requiritur, ita quidem, ut, si imminutio,
suppressio, aut irregularis saltem successus
menstrui fluxus in culpa fuerit, congruo tempo-
re venaectiones instituantur & secura emmena-
goga exhibeantur; si excessu peccet haec excre-
tio,

tio, viriumque totius corporis prostrationem, cum speciali vteri atonia, inferat, tonicis & aliis conuenientibus remediis, quantum fieri potest, moderanda erit. Aliorum vero morborum, sterilitatem ob vehementiam suam, aut diuturnioram durationem, post se trahentium, specialem curationem hic nec attingere lubet, nec ob temporis & paginarum angustiam licet, siquidem etiam iam dudum in eo otium mihi fecerunt viri complures celeberrimi, prioris aequa ac nostri saeculi, quorum egregia practica scripta exquisitissimam pro scopo illo obtinendo suppeditare possunt instructionem.

Quum etiam porro satis abunde notum sit, quod complures externi morbi, in genitalibus foeminarum partibus occurrentes, sterilitatem inferre queant, merito quoque prudens illarum habenda erit ratio. Sic variae excrescentiae fungosae & varicosae, tumores & exulcerationes labiorum vaginae ac sinus muliebris, coitum non solum prohibere, sed feminis etiam receptionem impedire posflunt. Interdum orificium vteri vel a natura inde ab utero materno clausum, vel a morbo concretum est. Aliquando nimia aditus huius angustia, itemque enormis clitoridis aut nympharum excrescentia, nec non fungi, tubercula & carunculae, externas internasque vaginae partes infestantes, & saepe

D

ad

ad crura vsque propendentes, negotium generationis impediunt. Circa horum autem vitiorum specialiorem curationem vel ideo hic occupatus non ero, quoniam illa vnicē operationibus perficitur chirurgicis, de quibus alii consulendi sunt Auctores celeberrimi.

ARTICVLVS II.

DE

NATVRALI STERILITATE.

§. I.

Si sterilitas in foeminis occurrit absque caussis praeternaturalibus vlo modo detegendis, necesse illa fundamentum in ipsa corporis, vel etiam vteri constitutione natuia, ad generationem minus apta, positum habere debet, tuncque illa recte *naturalis* vocari solet.

§. II.

Primariam ergo & principalem huius causam merito in *temperamento habituque corporis* quaerendam esse autumo. Dum enim per experientiam constat, maxime foecundas imprimis esse illas foeminas, quae bona gaudent humorum mixtione aut sic dicta temperie, vtique exinde concludere licet, quod qualiscunque gravior & maior illorum intemperies & dyscrasia eodem modo, quo complures alias excludit morbos

morbos, ipsam etiam sterilitatem inducere queat.

§. III.

Si ergo *aqueum* in M. S. abundat elementum, tunc tota corporis substantia laxa, tumida, frigida, pallida, & prae debilitate languens est, adeoque nec semen communicatum debite retineri, nec ovulum ullum foecundari potest. Sic etiam ab illis foeminis non facile progeniem quandam sperare licet, in quarum corporibus *siccum terreum elementum* nimia copia praesto est, quaeque macilenta & quasi exsuccae sunt, quoniam actiuiores elasticæ partes, ad foecundationem in primis necessariae, prorsus in iisdem oppressae sunt. Similem porro sterilitatis metum nimia *oleofarum partium* in corpore abundantia incutere potest, dum obesa eiusmodi subiecta summa laborant inertia, liquidorumque immeabilitate, ob vasorum a pinguedine compressorum teneritatem & debilitatem.

§. IV.

Confirmat etiam haec omnia **HIPPOTRATES**, dum adductas illas sterilitatis ex intemperie ortas caussas omnes complectens, *Sez. V.* *Aphor. 62.* inquit.: *Quaecunque frigidos ac densos vteros habent, non concipiunt;* quia nimurum tales vteri & venas & arterias habent angustiores, sanguinisque parciorem obtinent transitum & affluxum; & *Aphor. 63.* pergit. *Quaecunque humidos*

D 2

humidos habent vteros, non concipiunt; extinguitur enim in ipsis genitura; tum etiam quae siccis magis & adustos habent vteros; prae inopia enim alimenti corrumpitur semen.

§. V.

Non minus quoque satis frequentia *rerum non naturalium abusus* generationi ponit impedimenta. Praeter enim illa, quae partim ab *aëris conditione*, secundum *regionum situm, climata, & anni tempora insigniter variante*, itemque ab *animi pathematis grauioribus, motu corporis immodico, nimiaque quiete profiscuntur*, multum etiam tribuendum erit *alimentis & potulentis*. Ex prioribus enim *huc referenda sunt exsucca, dyspepta, viscida, nimium acida & refrigerantia, quae aegerme, nec inquam plenarie a ventriculo subigi & digeri possunt, indeque crudum praebent chylum, ex quo si talis non elaboratur sanguis, cuius pars delibatissima in viris aequa ac foeminis ad proliferationem apta satis & idonea foret, facile diuturno usu sterilitas induci potest*. Ex *potulentorum censu autem* *huc pertinent* partim *spirituosa, nimia in copia subinde ingurgitata, partim ipsae etiam aquae frigidae, crudaes & palustres, testimonio HIPPOCRATIS, qui Lib. de aëribus, aquis & locis, §. 7. ex mulieribus, inquit, primum quidem multae steriles sunt propter aquas, quae durae sunt ac crudae & frigidae; quae vero aquas palustres potant, his oedemata*

mata oboriuntur, & pituita alba, & in ventre non concipiunt. Quae autem de fabarum Cofe decocto proferuntur, quod nimurum illud organis generationis speciatim infensum sit, eneruando eadem & iusto tono priuando, id sane generatim haud accipiendo, sed ad summum, iuxta mentem celeberr. PLAZII^f), de iis intelligentur erit, quibus non solum dies, sed & hora, quam sine Cofe vnu transigunt, perdita videtur.

ARTICVLVS III.

DE

STERILITATE TEMPORARIA.

§. I.

Vltima haec sterilitatis species duplice saltem contingit in foeminis, vel quando virgines iuniores ante menstruationis tempus matrimonium inueniunt, vel quando uno alteroque partu defunctae, indeque ad tempus aliquod ad concipiendum inepta redditae fuerunt. Prior casus vnicet ad aetatem impuberum restringendus est, utpote quibus partes generationi dicatae non dum ita

Dicitur 3. de *Potus Cofe abusu, catalogum morborum augente, §. XII.*

euolutae sunt, vt foecundum sustinere queant congressum, licet de reliquo negandum non sit, quod diuersis haec aetas, pro gentis, hanc vel illam regionem incolentis, item pro climatis, temperamenti, nutrimenti & inde sequentis corporis incrementi, circumscribatur limitibus.

§. II.

Posteriorem casum inducere potest vel *partus naturalis*, sed *crebrior & breuior temporis intervallo repetitus*, praecipue si *tenerioris ac debilioris structurae* fuerint foeminae, ob valde imminentum naturale robur tam totius corporis, quam speciatim vteri; vel *partus nimis laboriosus*, ob praeter-naturalem foetus situm, aut infecutam huius in vtero mortem, intensiori manuum obstetricis applicatione, aut instrumentorum ope perficiendus, similem imbecillitatem, longo quandoque temporis intervallo demum iterum euanescensem, post se relinquens.

§. III.

Multum etiam, in quibusdam ad minimum foeminis, hoc conferre potest *frequentior congressus iteratio*, maiorem sanguinis ad vterum affluxum concitans, & ad nimiam laxitatem illum disponens, vt debite retinendo semini vel ad tempus, vel plenarie impar euadat; vnde recte iam olim *Alexand.*

xand. MASSARIAS g) afferuit, *mulieres, quo frequentius coëant, eo esse steriliiores.* Idem etiam notandum est de *morbis* quibusdam non summe soneticis, sed curationem adhuc admittentibus, *longiori autem duratione* interdum temporariam sterilitatem inferentibus, quale exemplum sifit *Illustr. b. m. HOFFMANNVS* h), in nobili quadam foemina, quae post primum puerperium, ob infecutas aliquoties catarrhales & tertianas febres, quas purpura tandem rubra exceptit, sterilis evasit, cui tamen, dum causa vnicet in seri dyscrasia nimiaque acrimonia haerere videbatur, felicem medelam ex congruorum praescriptorum remediorum vsu promittere haud dubitauit.

§. IV.

De reliquo circa *curationem* tam praecedentis *naturalis*, quam huius *temporariae sterilitatis*, pauca saltem adhuc adiicienda sunt, dum per se iam satis patet, quod prior illa, ex ipso saltem corporis habitu & temperamenti conditione speciali, aut gravioribus circa res non-naturales commissis erroribus prognata, potissimum congruae & singularibus caussis accommodatae Diaetae exactiorem postulet usum; posterior autem mo-

g) Praelection. de morb. mulier. concept. & partu,
Cap. VI.

h) Medicin. consultat. Part. VII. Decad. IV. Caf. 8.

modo exposita, partim differendo matrimonium, aut ad minimum congressum virilem in virginibus non dum maturis satisque robustis, praecaueatur, partim etiam, quod reliquas in §. II. & III. adductas spectat foeminas, abstinendo ad tempus a concubitu, laboribusque nimiis corpus admodum eneruantibus, & moderato ciborum blande nutrientium & eupceptorum, simulque interponendo remediiorum analepticorum, neruinorum, tonicorum ac aliorum appropriatorum v̄su fe-
liciter non raro iterum tollatur.

T A N T V M.

VI



NOBI-

NOBILISSIMO PRAESTANTISSIMO QVE

DOMINO

CANDIDATO

S. P. D.

ANDREAS ELIAS BUCHNER.



Tametsi, *Candidate praestantissime*, multis iisque gravioris momenti distractus sim occupationibus, in aliena commoda impendendis, non potui tamen, quin exstet hic, quod properante saltem manu conscripsi, publicum amicitiae, qua TE amplector, testimonium. Cum enim, cursu studiorum TVORVM prosperis auspiciis absoluto, in quibus addiscendis, & Patruelis TVI doctissimi praeceptis imbutus, & reliquorum Medicorum Berlinensium, nominis fama pariter atque eruditio-
nis splendorē celeberrimorum, principiis institutus riteque confirmatus, hanc sapientiae sedem salutares, vt demum promeriti, in dexteritatis TVAE prae-
mium, honores doctorales, exploratis antea nobis que in examinibus probatis TVIS in arte salutari
acquisitis profectibus, in TE deferrentur: parum statim haesitare fas erat, quin felix olim euasurus Medicus, vestigiis Patruelis TVI dilectissimi sis incessurus. Quae cum ita sint, *Candidate nobilissime*, gratulor TIBI specimen TVVM inaugurale, pro capessenda lauro doctorali multo studio elabo-

E

ratum.

ratum. Adspiret diuina gratia Tvis, in aegrotantium commoda atque salutem moliendis, aubibus, omniaque ut ex voto & animi sententia
TIBI semper eveniant, clementissime iubeat.

Vale. Dab. in Regia Fridericiana, d. XX. Maii,
c/o locc LVIII.

NOBILISSIMO ET DOCTISSIMO

DOMINO
CANDIDATO

S. P. D.

BENIAMIN DE LEMOS

MED. DOCT.

Quum a nostris Muis, quorum contubernio per
quatuor annos cum diligentia & probita-
tis perpetua laude interfuerit, abitum nunc
pares, & profectum in arte salutari publicum
& inaugurale specimen edas, non possum, quin TE
discendentem bonis verbis & omnibus prosequar.
Assiduum TE discipulum illo habui tempore, Tuam-
que constantem & nunquam interruptam industriam
admiratus sum. Non carituram illam egregiis fructi-
bus sperare poteram & confidere, praesertim quum
saepe priuatis colloquiis declarares, quam non tam
memoriae auditæ mandare, quam recte omnia digerere
studeres. Plenius autem TE cognoui in examinibus
saepe institutis, quae ex legum præscripto subiisti, &
cum laude sustinuisti. Gratulor itaque studiis TVIS
ad

*ad optarum finem deductis, & ut ea, quae collegisti, doctrinae salutaris praesidia, ad plurimum humani generis fructum conferas, ex animo appreco. Vale. Dab.
Berolini, die X. Maii, MDCCCLVIII.*

CLARISSIMO

**DOMINO DOCTORANDO
AMICO SVO HONORATISSIMO**

S. P. D.

IOACHIM SALOMON KOREFF

M E D. D O C T.

Singularis amor, quo TE a prima TE cognoscendi occasione diligere coepi, praefertim, quum indefessam atque perpetuam in arte salutari addicenda viderem diligentiam, fecit, ut nunquam non de felici studiorum Tuorum progressu ac fine optima quaque sperauerim, Tibique sim applicatus. Spem vero illam, quam de fauste fortunateque absoluendo studiorum TVORVM curriculo semper habui, me non fefelleris, hodierna dies satis superque docet, qua non solum specimen singularium prosecutum TVORVM publicum edis, sed & eorundem praemia digna reportas, & impostrum plura reportabis. Ex animi igitur sententia TIBI, Amico suauissime, de honoribus splendidissimis gratulor; gratulor etiam de nouo ingenii subacti monumento, nimirum de Dissertatione Tua, que eruditionem spirat singularem; gratulor orbi litterario & patriae de nouo ornamento; gratulor moribus grauibus affectis de Medico peritisimo, doctissimo, fidelissimo. Quod superest, sincero TIBI appreco pectore felix iter, fortunam prosperam ac constantem, rogoque ut mihi & in posterum TVAM non recuses amicitiam. Vale. Dab.

Halae Magdeb. d. XX. Maii MDCCCLVIII.

NOBI-

NOBILISSIMO ATQUE DOCTISSIMO
DOMINO CANDIDATO

S. P. D.
LAZARVS SALOMON KOREFF

PRAGENSIS.

Insignem coepi voluptatem, Doctorande clarissime, ex eo quod mihi contigerit, quo TIBI, quem TIBI debo, nunc mihi licet declarare amorem. Morum facilitatem, Tuamque, multa assiduaque diligentia acquisitam, eruditionem, TVR animi candorem, & alia, quae in TE deprehenduntur, bona, me iandudum in TVR rapuisse amorem ingenue fateor. Nonne hinc fusta suscipiam vota, dum cognosco, presso pede TE sequi honores meritis TVR dignissimos. Gratulor itaque TIBI, Candidate dignissime, de hocce insigni, quod edis, eruditionis specimine. Gratulor de honoribus, quos ambis, doctoralibus. Adprecor felices TIBI patriae exoptatissimae amplexus. Voueo ulteriore rem in cursu medico prospexitatem. Vale. Dab. Halae d. XX. Maii, MDCCCLVIII.




in Med. Fac.

5. 7. 58.

Halle, Med. Diss., 1758




Rheo ✓



7

INAUGURALIS MEDICO - PRACTICA
DE
R I L I T A T E
R I V S Q V E S E X V S ,
E I V S Q V E C A V S S I S ,
S E T C V R A T I O N E ,

 QVAM
 NI NVMINIS AVSPICIIS
 VSSV ET AVCTORITATE
 DE FACVLTATIS MEDICAE
 DEMIA REGIA FRIDERICIANA
 SPECIMINIS LOCO
R A D V D O C T O R I S
 N MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
 RALIBVS RITE IMPETRANDIS
 XXII. MAII MDCCCLVIII.
 ORVM CENSVRAE EXHIBVIT
 AVCTOR
 I S D E L E M O S , I V N I O R ,
 H A M B U R G E N S I S ,
 G E N T E I V D A E V S .

 ALAE MAGDEBURGICAE ,
 OGRAPHIA VESTERIANA .